

REVERENDO AC MAGNIFICO

ALPHONSINO TROTTI, EQVITI HIE-
ROSOLYMITANO, COELIVS
CALCAGNINVS S.



C I S C I T A R I S à me uir Magnifice, quid de commentationibus Manardi nostri sentiam. Ego uero cunctanter tibi respondendū existimarem, si aut res esset obscura, aut ego prius hominē amare, quam admirari cœpisssem. Sed quom iam publico doctorum omnium consensu dījudicatum sit, Manardū in omni disciplinarum genere longe præcellere, omnesq; præclaras artes feliciter hausisse, uideor mihi abdicata omni iudiciorum solennitate etiam stans de homine bene merito posse pronunciare, eum post homines natos longe esse clarissimum: seu tu quæ ad naturam, seu quæ ad mathesin, seu quæ ad diuinitatem pertinent, explora ueris. Nam quid ego de ea parte, quæ ad mores spectat, mentionem habeam: quam ita quotidianis actionibus exprimit, ut facile intelligas, hominem sanctissimū, iuxta & doctissimum, non solum lingua, sed uita, atq; hac in primis philosophiā exercere, ut ex eo possint aptius nostri ciues uiuendi exemplum, quam documentum mutuari. Et sanè qui eius cōmentationes non oscitanter perlegerit, in ihs haud difficulter utraq; & animi & ingenij ornamenta perspiciet. Et profectò non aliunde factum est, ut homo minime ambitiosus, animum ad scribendū & ad eorum quæ scripsit æditionem appulerit, nisi ut promiscue bonis ac bene studiosis suo labore suaq; diligentia plurimum prodesset. Nam uir fœcundissimi ingenij, & qui quotidie se dignum aliquid meditetur, eorum maxime abhorret consuetudinem, qui suos thesauros ita recondunt ac dissimulant, ut nemini imparienda arbitrentur. Quippe alij se intelligunt ad summam inopiam peruenturos, quom primum reconditas ilias opes inuulgarint: alij perspectum habent multa esse in hominum opinione tantisper dum supprimuntur: quæ ubi publicum acceperint, tum mirifice expectationem frustrari. Contrà uero Manardus noster, uel quod uirtuti suæ plurimum cōfidat, uel quod optima quæcq; in publicum usum depromenda censeat, nihil habet tam reconditū, aut tam preciosum ex Musarū sacrarijs erutum, quod non amicis, id est studio sis omnibus, obuia manu impariatur: plagiarios quosdam minime ueritus, qui sæpe capita libera, pro suis uernaculis uendant. Eo enim est ingenio natus, ut nullius uitio uelit suam uirtutem labefactari. Emisit annis proximis libros sex Epistolarum medicinaliū (ita enim titulum præscripsit) qui sunt in manu hominū, amantur, leguntur, expetuntur. Indoctissimus est qui se non ihs multum debere fateatur: præsertim quom plurima in maiestate naturæ abdita, & à nostris hominibus ignorata, atq; ad uitam impense necessaria, ille aut primus ostenderit, aut, quod proximū est, in disquisitionē uocauerit; ut qui antehac uenena, aut cer-

COELII CALCAGNINI EPISTOLA:

te ignota pharmaca, pro remedijis depromebant, hi nunc admoniti cunctantius, & non sine religione miseris mortalibus medeantur. Sex alias mihi nuper ostendit, quos in ordinem digessit, opus dij boni quamuarium, quam emunctum, quam bonae frugis plenum. Nam quod ad eloquentiam attinet, tantum in hos libros contulit, quantum existimauit necesse. Illud possum certò affirmare, eum ijs in commentarijs nihil prius habuisse in consilio, quam suo seculo prodesse, & literis laborantibus operem ferre. Certe oratio ita perspicua est, ut neminem torqueat: ita pura, ut neminem, nisi paulò delicatiorem, offendat. Nam quod ex consuetudine medicorum, nonnulla in eorum libris protrita interseruerit, quæ aliquis fortasse morosus auersetur: par est ut, quisquis ille est, secū cogitet, nō modo à quo, sed ad quos etiam scribatur: & orationē non indicentis, sed in audientis multo maxime gratiam repertam esse. Ob id frequens fuit apud ueteres illud Aristoph. αὐαθέσορον πῶς ἄπει καὶ στρφέσορον. Illud habeo compertum, Manardum paribili oratione contentū, accertos cultus, & uerborū anxios delectus alijs reliquisse. Vt cuncti tamen cæteri sentiant, mihi profectò frequenter ita adsurgit, ut non in Lyceo, sed in foro, aut in basilica uersari uideatur. Nec sanè quispiā putet Galenum, Oribasiū, Aeginetā à Manardo accuratius excusso, quam Ciceronem, Demosthenem, Pliniū, cæterosq; elegantioris notæ. Sedenim eruditionis est uerba inuenire: suis autem locis accōmodare, & temporibus inseruire, prudentiæ. Cæterū quod tibi recentissimū hoc opus dicauerit, non possum non eius optionem plenam sapientiæ approbare: Tu enim unus es omniū, uir clarissime, qui literas ac literatos soleas liberaliter amplexari: qui recta studia, omnibus fortunæ bonis anteponas: qui cætera omnia in rebus humanis incerta, fluxa, procidua existimes: solam autem esse literarū prærogatiuam, cui uera laus & perpetuitas nominis debeatur. Bene uale.

Ferrariæ, ad XII. Calend. Nouemb.

M. D. XXIX.